



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Consolator Fidelis Et Proficientis Animæ seu
Exhortatiunculæ Spirituales Et Succinctæ In singulas
Dominicas & Festa anni divisæ, quibûs Confessarius in S.
tribunali animam Deum verè quærentem paternè ...**

Eisvogel, Veremund

Augustae Vindelic., 1727

Martius.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52716](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52716)

Justus hic est. Hinc nostros ô fili! conatus in hac terra præmiatur adversis, ut in futurum ampliora tribuat meritis, & virtuti statuta præmia. Spernamus mundi favores, & gaudia. Patiamur Matrem Domini. Patris est: exosculemur! non punit, sed ungit.

Instructio meritoria.

Ut exilium hujus mortalis vitæ portemus cum insigni proventu animæ, oremus ter Canticum trium Martyrum: *Benedicite omnia opera Domini Domino &c.* addendo & toties suspirium S. Augustini: *hic ure! hic seca!* modò æternùm parcas!

M A R T I U S.

Festum S. Virginis Chunegundis Augustæ Congregationis Benedictino-Bavaricæ Patronæ specialissimæ.

EXHORTATIUNCULA I.

Quid ita placet Deo, ac puritas, & innocentia vitæ? Id testatur ambulans super ignitos vomeres S. Chunegundis.

negundis innocentia. Ignis non laedit,
quem puritas defendit.

Instructio meritoria.

Fili mi! Christo, Mariæ, S. P. Bene-
dicto servimus, certò indignè, si non in
sanctitate. Igitur rigidi simus sensuum
nostrorum custodes, & pro stabili casti-
monia cordis oremus *Officium minus* de
Immaculata Conceptione. Conteret
Virgo Immaculata caput stygii serpentis.

II.

DEl templis, & ecclesiis ô quantam
debemus reverentiam! noverat
id S. Imperatrix! Hinc quidquid opum,
& divitiarum accepit à Deo, illorum
splendori, & ornatui obtulit, & ut quo-
que S. Henricus sua eò conferret, exhor-
tationibus incitavit. Fili! non erube-
scant, qui nec mediâ horâ devoti, aut
attenti in ecclesiis fletere, vel adorare
supremam Majestatem dignantur. Si-
mus his ferventiores nos!

Instructio meritoria.

Visitemus Ecclesias; & quidem incli-
natô capite, oculisque vel ex integro
clausis, vel in terram humiliter defixis,

& in satisfactionem omnium irreverentiarum offeramus 24. *Pater & Ave* cum totidem actibus fidei. Non credit, qui in templo Deum liberè offendit.

III.

S At forte martyrium est, vivere inter delicias, & mundi gaudia, & tamen non fœdari. Sic vixit Augusta hæc sanctissima, de qua in lecto mortis S. Henricus: *Virginem dedistis; Virginem reddo.* Quid hîc respondent appetitus, & concupiscentiæ nostræ?

Instructio meritoria.

Suas cohibuit S. Chunegundis amore, & cultu Mariæ. Curramus & nos ad hanc pulchræ dilectionis Matrem, & ne seducamur amplius aut sensibus, aut inordinatis desideriis, nos in filios ei commendemus consueta sodalibus formulâ: *Sancta Maria, Mater Dei, & Virgo!* ego N. *te hodie in Dominam &c.* pro coronide dicamus *Te Deum Laudamus.* Multum in castitate seminat, qui caliter Mariam honorat.

Festum S. Casimiri Regis Poloniae
 Protectoris Vigilantissimi.

EXHORTATIUNCULA I.

Magnus hic Poloniae Princeps maluit mori, quam maculari. Hic effectus est horroris perfecti erga quodvis peccatum. Fili dilecte! horror, & odium peccati o quam multa, quam magna praestant in anima! agnoverunt mundi Principes. Ideo fugerunt, & reliquerunt omnia. Nos quando sequemur? heu! quid moramur inter tot periculi pericula?

Instructio meritoria.

Injiciamus hodie nostris freno oculis, & ut serio timeamus peccatum, proximam Confessionem cum Sacramentali communione eò ordinemus. Recitemus insuper Psalmum: *Qui habitat in adjutorio Altissimi &c.* ex Completorio. Aut sanctus, aut nihil.

II.

S. Casimirus horruit minima, & levissima peccata ceu gravissima. Et revera respectu offensi Dei nunquam

L 3

datur

datur minimum. O si & nos hujus esse-
mus sententiæ! quàm cautiore fugere-
mus venialia! Hæc monstra sunt in ocu-
lis Dei! execremur! maectemus!

Instructio meritoria.

Paciscamur hodie cum SSS. Trinitate,
nullum per diem præsentem admittere
veniale peccatum pleno consensu, & ad-
vertentiâ, pactumque hoc firmemus spe-
ciali silentiô, & separatione ab omni
publico. Offeramus idcirco cursum
Marianum. Quid est, quod non impe-
trabimus per MARIAM?

III.

Non delicias, non libertatem, non
delectamenta, quæ habuisset S. Ca-
simirus in abundantia, elegit, sed cru-
ciatus, cilicia, aliâque corporis tormen-
ta, dicens sibi. *Regnum meum non est
de hoc mundo.* Deserendæ sunt sæculi
cepæ! harum locò dabuntur deliciae
sanctorum. Et quæ illæ? Nec oculus vi-
dit, nec auris audivit!

Instructio meritoria.

Nulla dies sine linea, nec corpus un-
quam sine sui tortura. Non parcamus ab-

abstinentiis, nec pœnitentiæ rigoribus. Rogemus à Venerabili Confessario; is sciet, quid conducatur animæ. Corpori nihil comedamus extrâ tempus ordinariæ refectiois. jejunemus hîc, ut ibi satiemur in perpetuum. Pro oratione sit Psalmus: *Deus, Deus meus! ad te de luce vigilo, sitivit &c.* Desideranti aperietur.

Festum S. Coletæ, Prodigiôsæ Virginis ex S. Ord. S. Matris Claræ.

EXHORTATIUNCULA I.

Sacerdos dum sacram hostiam elevat ad aram, Coleta in lacrymas rumpitur copiosissimas. Hi fluunt rivuli, ubi fons, & Scaturigo invenitur viva fides! Fili! ah! S. Hostiam quoties aspiciamus? Sed quali spiritu? Utinam compunctionis, & amoris!

Instructio meritoria.

Ad omnes SS. elevationes Sacrificiorum (si contigerit interesse) statim flectamus, & erectis manibus, oculisque clausis adoremus Deum Eucharisticum, dicentes: *Adoro te devotè latens Dei-*

tas &c. Jesus adest! quid aliud cogitamus?

II.

S. Coleta obtinuit à Deo suo, quid quid ab eo petit. Fili! an nescimus, Jesum ideò remansisse in terris, ut nobis esset præstò, & auxilio? Invitac nos in templis, in SS. Exercitiis &c. Veniamus! Dabit, quod sanctè & justè petimus.

Instructio meritoria.

Trinam Visitationem sanctissimi instituemus! in prima vivam fidem. In secunda fiduciam firmam. In tertia charitatem efflagitemus ardentissimam, terna vice expansis brachiis 12. *Pater, & Ave* cum *Credo* recitantes. Quod dignum, & justum est, dabit nobis. Oremus fratres!

III.

IN Cultu SS. Eucharistiæ B. Coleta fuit prorsus admirabilis: ideò digna, ut ex manibus Jesu hoc caperet amoris epulum. Si vel parùm amaremus Jesum in Venerabili Sacramento, fili! illum sapiùs etiam extra Ecclesiam piùs suspi-

suspiriis, affectibus, & devotis tesseriis
per diem salutarem, desiderantes:
Sitivit in te anima mea! quando ve-
niam, & apparebo?

Instructio meritoria.

In utraque refectioe spiritualem re-
flexè communionem instituamus, men-
taliter videlicet adorandò Sanctissimum,
& dicendo: *Jesu! nolo vivere sine te.*
Veni, & ciba, pota, ac refice me. In te
credo, spero, te amo super omnia. Re-
citemus & Psalmum: Quam dilecta ta-
bernacula tua Domine virtutum. Cui
malè, si cum Jesu Eucharistico?

Solemnitas Angelici Doctoris
S. Thomæ Aquinatis sideris in sancto
Dominicanorum ordine illu-
strissimi.

EXHORTATIUNCULA I.

Fili! sedemus in tenebris, & in um-
bra mortis? Quæramus solem, Ve-
neremur S. Thomam, & illuminabit
nos. Hujus sanctitate, & doctrinâ tri-
umphat tota Ecclesia; quantò magis

L 5 nostra

nostra unica, dilecta anima. Ad plausus, ad jubilos ergo.

Instructio meritoria.

Ut in ordine hoc Florentissimo prodeant plures ejusmodi soles, qui confundant, ac dissipent hæreticorum caliginem, & tenebras, omnia opera totius diei in hunc finem offeramus S. Thomæ, quem & Hymno Ambrosiano *Te Deum Laudamus* veneremur. Gaudium omne à bono, & si alienum, tamen nostrum est.

II.

D Thomæ totum vivere, aut legere, aut scribere, aut orare fuit. Ideò & portentum existit scientiæ. Fili! vacuum est cor nostrum; quia vacuum continuâ industriâ, labore, & vigilantia. Laboranti promissa est merces: otiosis exitium, & ruina.

Instructio meritoria.

Non deficiat nobis accurata temporis distributio. Tempora hodierna demus studio, devotioni, & Deo. Pro imitatione S. Thomæ Aquinatis antè quodlibet exercitium adoremus, & invocemus

mus

mus potens Dei auxilium cum hymno :
Veni S. Spiritus. Ab hoc nobis omnis sa-
 pientia, & eruditio.

III.

S. Thomas scripsit, & vixit solius Di-
 vine gloriæ causâ ; hinc illa ex ore
 Christi deprædicatio : *benè scripsisti de*
me. Perperam vivit, iniquè & laborat,
 quisquis studiis in suis nihil quærit, quàm
 Deum. Fili ! vivamus, ut audiamus à
 Jesu : *vixisti benè propter me.*

Instructio meritoria.

Quæ nostra in actionibus intentio ?
 Elevemus sub his frequenter mentem ad
 Deum contestantes cum Petro : *Domine ! tu scis, quòd amem te.* Opere
 quodam peractò cantemus Domino :
Benedictus Dominus Deus Israël cum
tribus, Pater, & Ave, atque notâ ora-
 tione : *actiones nostras quæsumus &c.*
 Et hoc an non sanctè opera consumma-
 re est ?

Festum S. Veremundi Abbatis
ex Ordine S. P. Benedicti Regni Na-
varræ contrà famem Patroni
Clementissimi.

EXHORTATIUNCULA I.

NE gravaret animam, & affligeret
conscientiam S. Veremundus, cor-
pus severè habuit, & quidem adhuc in
prima sua pueritia. Felix, qui tam citò
hosti dominatur domestico, rebelli cor-
pusculo! hic solus dominabitur gen-
tium, & omnium passionum. *Fili!*
probemus & nos, ut simus ac vivamus
nobiscum semper in pace, & spiritali
consolatione.

Instructio meritoria.

Unam, vel alteram incommodita-
tem hodie libenter supportemus, uti &
patienter. Pro cuius patientia oremus
15. Pater, & Ave cum Hymno: Ve-
xilla regis prodeunt. Vulnus pro vul-
nere! jubet Jesus de Cruce.

II.

ELectus Vir innocens in Pastorem
populi mores non mutavit, sanctior
factus

factus ex dignitate. Inde tanta ergà subditos prodigia. Honorem ni virtus stabiliat, damnat, & præcipitat. Fili! nostrâ, quam imposuit Deus, sorte sumus contentissimi. Dabit cœlum meliorem, si nostræ conduxerit animæ. Patientia!

Instructio meritoria.

Ut liceat vivere, & mori in solida humilitate, arripiamus Crucifixum, & sub suavissima exosculatione recitemus psalmum: *Domine! non est exaltatum cor meum* &c. adjungendô *quinque Pater, & Ave.* Inspice, & fac secundum Exemplar! Pati voluit Christus, non imperare, & dominari.

III.

FAmem ut tolleret à Regno Navarra, quid egit S. Veremundus? Sacris operatur: Et ecce! adest columba, & circumvolans esurientium capita, faciavit omnia. O quàm Deo acceptum est sacrificium, si fuerit mundum.

Instructio meritoria.

Ut à dulci patria S. Veremundus publicas advertat necessitates, pestem, famem,

mem, sterilitatem, & belli, ac coeli fulmina, recitemus hodie Lytanas de omnibus sanctis, specialiter nominandô: *S. Veremunde! ora pro nobis.* Audiunt sancti, & juvant, dum sumus miseri.

Festum S. Joannis de Deo Confessoris, & Ordinis Hospitalitatis Fundatoris zelosissimi.

EXHORTATIUNCULA I.

Fili! in afflictione, in cruce, vel desolatione vivimus? Non contristemur! Hic S. Joannes, quòd vocatus sit *de Deo*, meruit suâ fortitudine, & patientiâ. Ut & nos simus, & vocemur filii Dei, tollamus crucem, & laudemus in adversitatibus Dominum. Non pigris, non otiosis, sed patientibus dabitur nomen, & regnum filiorum Dei.

Instructio meritoria.

Ut afflictæ, & desolatæ animæ non deficient in fide, vel à Christo se separant, septem speciales patientiæ actus hodie exerceamus cum S. Rosario Doloroso. Quod impenditur misero, impen-

penditur ipsi Christo. Quàm ergò pretiosa Charitas proximi!

II.

Afflictiones non solùm sustinuit fortiter Joannes, sed & sponte quæsivit, inventasque augere studuit. Ideò stultum inducit, factus peripsema omnium. Erubescat hîc fastuosa hominum superbia! fili! quàm modica adhuc præstitimus in humilitate Christiana! si vivamus sine adversario, nemo sciet, quid possimus, ne nos ipsi quidem. Ad noticiam sui opus est experimento. Nemo vires suas didicit nisi tentandò.

Instructio meritoria.

Ut tamen crescamus in virtute tam nobili, resistamus hodie omni respectui, vel laudibus humanis de die sapiùs repententes in corde: *Domine! propter te! omnis autem homo mendax.* Suffragiorum locò addamus 12. Pater, & Ave cum totidem osculis terræ. Tot Gradus humilitatis, & patientiæ sunt.

III. Quid

III.

Quid video? Joannem medium inter flammam, & tamen innoxium. Quis conservavit? charitas pauperi & misero impensa. Corde erga Deum, & proximum intus ardente, quidquid mali evenerit ad extra, non tangit amantem. Fili! non volumus urī! Diligamus.

Instructio meritoria.

Hæc charitas, ut in devotis familiis S. Joannis de Deo sit quotidie flagrantissima, erga obvios pauperes, & miseros, 12. actus multæ charitatis reflexè exercendos offeramus SS. Trinitati cum suspirio S. Augustini: *Domine! da cor, quod te cogitet, animum, qui te diligat, mentem, quæ te recolat, intellectum, qui te intelligat, rationem, quæ tibi semper summè delectabili fortiter inhereat. Ama, & amaberis.*

Festum

Festum S. Franciscæ Romanæ
Fundatricis Oblatarum sub regula
S. P. Benedicti.

EXHORTATIUNCULA I.

Sensibus quotidie fallimur, & præcipitamus! Franciscæ ut cohiberet, omnibus abstinuit spectaculis, conviviis, & publicis oblectamentis. Hinc Angelus Dei aberat nunquam à latere Matronæ piissimæ. Vivere sensibus, & spiritui est idem, ac velle servire duobus Dominis. Et quod horum poterimus? Amicus sensuum inimicus constituitur Divinorum, atque coelestium.

Instructio meritoria.

Ne amplius oculis, vel gustu offendamus Deum, sensus nostros à Manè Deo commendemus Eucharistico cum quinque Pater & Ave in honorem s. vulnerum Jesu. Oremus & collectam: *Respice quæsumus super hanc familiam tuam &c.* Vulnera Crucifixi erunt sensuum receptacula.

II. Viri

II.

Viri exilium, bonorum omnium iacturam, totiusque domus incerorem tulit Francisca constantissimè, non contristans, sed laudans, & cum Jobo benedicens Dominum: Dominus dedit, Dominus abstulit, sic Nomen Domini benedictum. Fili! ecce regulam contra inordinatam tristitiam! Utamur; & contristabimur nunquam.

Instructio meritoria.

Grati ut simus Deo mala immittenti, flexis genibus persolvamus 15. *Pater, & Ave cum Te Deum Laudamus.* Sentire adversa naturæ, & quid humanum est; In his lætari, & gratias agere, gratiæ, & quid divinum. Eligamus, quod sanctius. *Non contristabit iustum, quidquid ei acciderit.* Pro. 12.

III.

Aestimationem sui ut triumpharet, quid excogitavit demissa Dei famula? Titulo vasculi immunditiæ gloriari, & asellum onerata manipulo lignorum per publicas Romæ plateas agere voluit, eligens displicere homini, ut
foli

soli placeret Deo. Et hoc vincere se-
ipsum est. Fili! hîc abhorret natura?
Quare? Quia sui amore nondum vacua.

Instructio meritoria.

Æstimationem propriæ excellentiæ
ut reprimamus, clam scalam serpendo
ascendamus, & cuilibet gradui cum *uno*
Ave osculum figamus, addendô in fine
canticum Mariæ: *Magnificat anima &c.*
Hæc ascensio nostra erit in cœlum pro-
vectio. Sic S. Petrus: humiliamini sub
potenti manu Dei, ut vos exaltet in
tempore visitationis. 1. Petri 5. 6.

Festum S. Gregorii Magni,
Pontificis, & Doctoris in Ecclesia
Eminentissimi.

EXHORTATIUNCULA I.

AD scholam magnæ sanctitatis, &
omnis perfectionis nos vocavit
Deus. Fili! ergò Magistrum inquiramus
in S. Gregorio, qui & virtute, &
Dei sapientia, ac spiritu Christi, & al-
mi Patris Benedicti magnus vocari me-
ruit. His omnibûs quantum indige-
mus! sed quomodo impetrabimus?

In-

Instructio meritoria.

Laudetur Deus in sanctis suis! Litanias recitemus de omnibus Sanctis ex S. Ordine Benedictino cum Cantico: *Benedicite omnia opera Domini Domino &c.* Laus Dei coelites lætificat, & beatos facit. S. Laur. Justin.

II.

IRatus erat Deus populo Romano, quem gladiò feriit luis pestiferæ. Iratum placat denuò S. Gregorius. Quomodo? Publicè circumferendò Mariam, cui ipsi coelites auditi sunt aggratulari cantantes. *Regina cæli letare.* In periculis optimum dat medicamen & consilium Maria. Bona est Maria hominibus, quia per Ipsam habent Redemptorem. Bona peccatoribus, quia per Ipsam consequuntur veniam. Bona justis, quia per Ipsam obtinent perseverantiam. S. Vinc. Ferrer.

Instructio meritoria.

Hoc idem Angelorum Canticum ter de die per manus S. Gregorii offeramus coelitem Reginæ pro avertenda omni contagione à dilecta patria. Peribimus, nisi

nisi vitam suffulserit Maria. Nam so-
 lium Divinæ Misericordiæ est Mater Mi-
 sericordiæ, in qua omnes inveniunt so-
 lacia misericordiæ.

III.

S. Gregorius nusquam major videri
 voluit, quàm in doloribus, & hu-
 miliationibus. Magna scripsit, & fecit;
 sed semper infirma sanitate. Laudari
 noluit, ideò & Pontificatum abhorruit.
 Fili! memento, veram Christiani ma-
 gnitudinem esse, magna præstare, &
 parvum sese reputare. *Nam magna, &
 rara virtus est, ut magna licet operan-
 tem, magnum te nescias.* S. Bern.

Instructio meritoria.

Studiosè aliorum facta commendare,
 & nostra deprimere, hodie satagamus;
 quin & adeuntes ecclesiam in ultimo an-
 gulo delitescamus, orantes inclinatò ca-
 pite, clausis oculis, & erectis manibus
 24. Pater & pro acquirendis 12. gradi-
 bus perfectæ humilitatis. Phariseus re-
 pellitur! publicanus recipitur. Humilis
 assumitur! superbus & elatus ac fastuo-
 sus relinquitur!

Dies

Dies S. Isidori Agricolaë Patroni
à Madrito electissimi.

EXHORTATIUNCULA I.

Fili! non erubescamus, si vilius quid
agendum nobis imponatur à S.
obedientia. S. Isidorus vilitate Deum,
& cœlum cum mira sanctitate sibi eme-
rat. Non est vile, quod Deo impendi-
tur. Sancta sit voluntas: Placebit opus,
utut humillimum.

Instructio meritoria.

Ne homo superbiat inferior, sponte
quoddam hodie exerceamus opus, quod
ob vilitatem magis abhorret natura, &
S. Isidoro offeramus cum uno Rosario
extraordinario. Opera, si propter Deum,
semper pretiosa sunt.

II.

Hero suo S. Isidorus serviit fidelissi-
mè, memor, quod & Christus
Iosepho, & Mariæ vixerit subditus. O
fili! Deum aggredimur, si superiorem
capitofitate, velinobedienciâ contrista-
mur. Absit! solatia, & amorem me-
retur suâ in nos paternâ, & continuâ sol-
lici-

licitudine. Nescit offendere, quisquis perfectè didicit se subicere, & obedire.

Instructio meritoria.

Ut omnes Ecclesiæ Rectores gloriosè regnent, vitia evellant, & destruant, virtutes implantent, virósque gloriosos in suis generationibus pariant, *Lytanias de omnibus Sanctis* (inseriratur: *S. Isidore! ora pro nobis*) coram Sanctissimo persolvamus. Regis ad exemplum totus componitur orbis. Maculam in facie quis non considerat?

III.

Sanctè vivere cupimus omnes: Sed non sanctè vivimus; quia cum Isidoro diem, & labores nostros non ab oratione, & rectâ in Deum intentione constanter auspicamur. O fili! sed ad quid hæc dierum, & laborum perditio? Doleamus.

Instructio meritoria.

Et vel hodie firmiter statuamus, statim à manè coram pia Imagine, vel sanctissimo Altaris Sacramento præmittere intentionem Generalem totius Diei cum cæteris precibus matutinis. Ut autem

SSS.

SSS. Trinitas benedicat opera nostra, uti benedixit S. Isidori, præmittamus cuilibet notabili negotio *tria Pater & Ave* cum *Gloria Patri* & oratione: *Actiones nostras &c.* Dulcis est labor, quem condit pietas, & sancta devotio.

Festum S. Gertrudis Abbatissæ Nivigelenfium.

EXHORTATIUNCULA I.

UT soli desponsata Christo maneret, è domo aufugit Patris Pipini Brabantia Ducis. Alas dedit fugienti armorum Virginitatis, & primæ innocentia. Filii, quoties periclitamur, quia occasiones non fugimus? Imposterum prævaleat quieta mens, & tranquilla conscientia. Perfecta charitas habetur *de corde puro, conscientia bona, & fide non ficta.* S. Laur. Just.

Instructio meritoria.

Id haud impetrabimus sine speciali Dei gratia. Ad quam impetrandam, uti & ad avertendas omnes peccandi occasiones proximas recitemus quinque Psalmos Nomini Mariæ aliàs designatos, &

Ma

Mariophilis ex usu frequentiori satis notos cum Lytanis Lauretanis in fine. Extrà periculum, & reli jactum sumus, dum sub Mariæ Præsidio stamus. Periissemus sapius, si nos non servâset pietas Matris.

II.

Contremiscimus ô fili! dum mortis occurrit memoria. Et meritò: Est enim mors omnium terribilium terribilissima. Quid autem hoc? S. Gertrudis in lucta ultima lætatur, & jubilat. Causa hujus quæ? Deipara agonizanti adest, suoque conspectu exhilarat filiam. Non timeat in morte, qui MARIAM unicè diligit in vita. Hinc illa S. Bernardi exclamatio: *Certè Domina, cum te aspicio, nihil nisi misericordiam cerno; nam promiseris Mater Dei facta es.*

Instructio meritoria.

Quoties sanctum Mariæ Nomen hodie audierimus, toties illud capite inclinato, & detectò revereamur, cujus honor, gloria & amor ut exeat in omnes fines terræ, oremus Rythmum S. Casimiri: *Omni die dic Maria mea lau-*

M des

des anima. Si ego Mater : Ubi honor?
Ubi amor meus ?

III.

JAM mortis proxima Gertrudis sancta
ardenter supplicat, ut cum sacro
velamine, ac assueto cilicio sepeliretur,
nolens ea ponere arma, quibus carne ex-
pugnatâ, illibatam servavit animam.
Hostes undique cernimus, fili ! & arma
abjicimus ? Ah ! quæ erit nostra sine his
lucta ultima ? Si non pessima, certè peri-
culosissima.

Instructio meritoria.

Sine S. Scapulari, & Rosario Mariano
præsertim noctu nunquam inveniamur,
quia sunt signa salutis certissima. Hac
sæpius exosculemur, & ut in- & cum his li-
ceat mori, coram S. Icone, vel Altari
Beatissimæ Virginis renovemus flexis ge-
nibus formulam votivam cum hymno
Ave Maris Stella. Magna gratia, pu-
gnare sub vexillis MARIÆ. Hac ser-
vant justos, terrent impios, pellunt in-
feros. Hominibus enim data est Maria
in liberationem, demonibus in hostem.
B. Petr. Dam.

Festum S. Gabrielis Archangeli
Primi Maternitatis B. V. Mariæ
Encomiasticis.

EXHORTATIUNCULA I.

Fili dilecte! debitores sumus S. Gabrielis, Solvamus: Sed vitâ Christianô dignâ, vitâ sanctâ, & exemplari. Annuntiavit toti mundo gaudium magnum, dum SS. Incarnationis Mysteriorum. O felix nuntium quod destruxit peccati chirographum! quid retribuamus.

Instructio meritoria.

Nulla gratior SS. Angelis devotio, quàm quæ venit à corde puro, & humili. In præsentia igitur hujus Archangeli ambulare vel hodie discamus hac sub tessera: *Archangelus me videt.* Ne offendamus, novies repetamus illam Angelicam Salutationem manè, meridie, & vespere recitari ab Ecclesia solitam cum profunda genuflexione ad *ÿ.* & *Verbum Caro factum est.* Hoc est cum Angelis venerari Incarnationem, & salutare Mariam.

M 2

riam.

riam. Quid dulcius in ore? Quid excellentius in homine?

II.

Angustia, ô fili! nos circumdant undique? intus pavor, extra infidia, & mille pericula. Quærunt, ut rapiant misellam animam, jurati inferi. Sed quid consilii? S. Gabrieli adhaeremus. Dicitur enim *fortitudo Dei*. Quàm potenter sub hoc nostra quiescit anima. Incurii Deo, & SS. Angelis sumus, si in causa virtutis daemone cedimus. Suspiciamus coelum! en! quot veniant in subsidium.

Instructio meritoria.

Tres infensissimi sunt hostes animæ. Hos ut simul tollat, unus sufficit S. Gabriel, pro cuius amore perpetuo mentis nostræ implantando offeramus *Lycaenias de omnibus sanctis Angelis*. Custos est periclitantium! clamemus, & exaudiet nos.

III.

Mariam tepidè colimus frigidè amamus? fili mi! si sanctum accendimus Gabrielem, meritò confundimur.

Tate

Tantus fuit in Deiparam amore, ut nemo fuerit è Virginis amatoribus, qui tantum Archangelum superaret amandò. Hinc continuus Mariæ comes, & socius.

Instructio meritoria.

Deprecemur nostras irreverentias, & in harum compensationem persolvamus novies Canticum Mariæ: *Magnificat.* Addendo & illum Psalmum Eucharisticum: *Benedic anima mea Domino, & omnia, quæ &c.* Multum offendimus? Mitigemus devotís precibûs. Suscipiet S. Gabriel. Acceptabit & Maria.

Festum S. Josephi, Nutritii Salvatoris, Sponsi B. V. Mariæ.

EXHORTATIUNCULA I.

MOriendum est! Quando? & Ubi? An benè, an malè? Prorsùs incertum. Sed non diffidamus, dilecte fili! ecce! bonæ mortis patronos vobis sisto potentissimos Jesum, Mariam, Josephum. Horum amor, & cultus, ô quot jam mortem attulit suavissimam! non negabitur nobis, si fideles fuerimus in amando Jesum, Mariam, & S. Josephum.

M 3

In-

Instructio meritoria.

Fidelitatem hanc nostram probet firmum amoris pactum, & propositum, nunquam eundi in lectum, nisi præmissis Lytaniis Lauretanis, vel de die recitatis. Hodie inchoemus, & per Dei gratiam continuemus. Fatebimur in die iræ, quàm dulce! quàm acceptabile fuit, coluisse, & dilexisse Jesum, Mariam, & Josephum.

II.

Flli mi! hodie vos alloquor verbis Bernardi de Busto, nos consolantis: „ Qui aliquid à Deo vult obtinere, accipiat B. Josephum pro Advocato, & „ omnia impetrabit. O verba consolationis! Quis nostras numerabit miserrimas, & necessitates? Deficit corpus! patitur anima! & meritò: quare enim non veneramus, & invocamus S. Josephi merita? Potest, & vult succurrere: quid moramur?

Instructio meritoria.

Detestemur nostram desidiam, & hodie compensemus eam officio minori de SS. Josepho, & propter insignem illius

lius gloriam in cœlo, addamus & Canticum *Benedicite*. Vox hæc, vox S. Josepho erit amabilissima!

III.

S Josephus moritur in brachiis Jesu, & Mariæ. O mors verè pretiosa! fili! & nos ita mori optamus? Ita vivamus. Humiliemus nos in omnibus! Jesum in corde foveamus! Mariam colamus! & non elongabitur à lectulo mortis morientium Tutor S. Josephus.

Instructio meritoria.

Prima surgentis, & ultima obdormientis sint verba: *Jesu! Maria, & Joseph! in vestras manus commendo corpus, & animam meam.* Praxis ò quàm utilis! Ut stabiliamus, cuilibet personæ hodie unum, & suum proprium officium offeramus: Jesu de suo SS. Nominè: Josepho de suo munere: Mariæ de Immaculata conceptione. Me unò exaltabitur hoc Trinum.

Festum S. Joachimi Sanctissimæ Dei genitricis Patris gloriosissimi.

EXHORTATIUNCULA I.

Fili! ò quantum debemus S. Joachimo. Dedit nobis Mariam, & in Maria omnia. Quis non gaudeat hodierna in solemnitate? quis non grate letur viro tam sancto, quàm utili toti universo? nemini cedamus! simus in gratiarum actione primi. Bonum Patrem habemus in D. Joachimo. Quid lugemus?

Instructio meritoria.

Igitur pro majori S. Joachimi gloria sacrum vel audiamus, vel legamus, cui & Litanias addamus de tota Consanguinitate Jesu, Mariæ, & S. Josephi, quod horum fecimus uni, fecimus omni. O quanto cum fœnore meriti!

II.

Pater hic piissimus unicam suam filiam cui consecravit? Cultui Divino. Fili! huc tendant labores! huc omnia nostra reducantur studia! hominibus

bus nihil debemus : Deo universa. Sed
ô quàm inversa vivimus tempora ! ho-
mo hominem rapit ! neglectô Deô !

Instructio meritoria.

Actiones antequam aggrediamus, fle-
xîs genibûs per manus B. Joachimi offe-
ramus Jesu, Mariæ, & Josepho orantes
tria Pater & Ave cum antiphona : *Sub-
tuum Præsidium &c.* & reliquis, quæ
Lytaniis Lauretanis annexæ sunt, oratio-
nibus. A Jove principium ! à Jesu, Ma-
ria, & S. Josepho omne felix auspici-
um !

III.

D. Joachimo mansueta appingitur
columba, ut vel inde illius pate-
sceret innocentia. Justus erat, ideò &
dignus, ut pareret filiam, à qua seden-
tibus in umbra mortis illucesceret sol Ju-
stitiæ Christus Jesus. Innocentia si no-
bis desit, ad S. Joachimum redeamus.
Pater est Mariæ, & Maria Mater nostra.
Quid, & quantum non speremus de
utriusque manu ? Cum Christo enim di-
cere possunt : Data est nobis omnis po-
testas in coelo, & in terra.

M 5

In-

Instructio meritoria.

Mors imminet! fili! pro assistentibus Mariam, Joachimum cum S. Matre Anna eligamus, & vel hodie diem Martis constituamus pro speciali eorum cultu, & devotione. Novies dicamus in hunc finem Canticum Mariæ: *Magnificat anima &c. cum 9. Pater & Ave.* Magnificate, & magnificabimini à Jesu & Maria!

Solemnitas SS. Patris Nostri
Benedicti Patriarchæ Monachorum
Gloriosissimi.

EXHORTATIUNCULA I.

Filii sumus Magni Patriarchæ, SS. Benedicti: Sed admodum debiles, infirmi, & esurientes. Accedamus ergo & petamus à tanto Patre tres panes, quos petiit S. Bernardus, videlicet: *Sanctitatem vitæ, justitiam heroicorum operum, & pietatem morum.* Fili! Pater porrigit! nostrum est avidè capere.

Instructio meritoria.

Sed non capiamus soli! oremus & pro tota SS. P. Benedicti familia, ut hæc sua fan

sanctitate, spiritu, & fervore ulterius militantem, Romanamque fulciat Ecclesiam; triumphantem verò viris indies repleat illustrissimis. Offeramus ergo *Lytanias* de SS. P. Benedicto, quas per octo dies devotè continuabimus cum octo actibus propriæ abnegationis quotidie exercendi. Sic filii honorant parentes.

II.

Nomen Patris verè competit Benedicto; quia dedit, & genuit Christo innumeros filios, uti sanctitate vitæ, ita & spiritu Dei nobilissimos. O si & nos inter illos! fili! non diffidat! colat, & diligat S. Regulam, vitam instituat Benedictinò dignam, mundo, & homini non intendat, sed Deum, & SS. P. Benedictum corde, ore, & moribus semper gerat secum; sic assecutus est Viros tanti Ordinis præstantissimos.

Instructio meritoria.

Pro quorum augmento recitemus *Lytanias* de omnibus sanctis Ordinis adeò Benedicti, & flexis genibus legamus hodie 12. gradus de humilitate è S. Regulæ

C7. cum totidem osculis, & oratione: *excita, quasumus Domine, spiritum &c.* verba movent, exempla trahunt.

III.

Fili! certamus sub sancto Almi Benedicti magisterio! ò nos felices! inde enim ad summa, excelsa, & sublimia vocati sumus. Scimus utique tanti ordinis privilegia? Scimus & promissa defursum præmia diligentibus Benedictum! Ut nobis reddamus certissima, relicta tanti Magistri sequamur, & æmulemur omnis sanctitatis charismata. Latet in eremo, quem nobile stemma constituit super multa in mundo. Nos gaudeamus, quia datum & nobis pergere, quin & currere ad Patrem.

Instructio meritoria.

Studiosè inquiramus in unam, vel alteram horam mediam, speciali recollectioni hodie deputandam, vel in cubiculo, vel coram Deo Eucharistico in templo. Soli dum fuerimus, pro disciplina, & zelo monastico, principaliter verò pro spiritu, & fervore omnium Superiorum persolvamus *expansis brachiis*

chiis Rosarium cum affixo officio minori de SS. Legislatore. Lateamus, ut placeamus coelo, & prosumus ordini tam sancto.

Festum S. Catharinæ Suecæ

S. Brigittæ Filix Speciosissimæ.

EXHORTATIUNCULA I.

Fili! nunc gaudet S. Catharina, quòd per quatuor horas quotidie illacrimata sit patienti Jesu. Hoc gaudium quando incipiet in cordibus nostris? Heu! deliciis velle diffluere, dum Jesus satiatur opprobriis, quàm indigna res Christianò? Bernardus monuit: non decet, sub spinoso, & percusso capite membra delitescere delicata. Ad compassionem ergò.

Instructio meritoria.

Hanc exhibemus Christo, si hodiernas adversitates, per manus S. Catharinæ obtulerimus! imò & unierimus cum doloribus Jesu, recitandò desuper Rosarium Dolorosum flexis coram Sanctissimo genibùs cum aliquot terræ osculis. Christus in Cruce: & ego.

M 7

Uc

II.

UT sua sanctè initiaret opera S. Catharina, quid egit? Semper unum præmisit *Ave*. Neque eò nondum recitatò, ulli etsi consulta, dedit responsum. Tanti erat huic Virgini, primitias dare Mariæ. Sequamur ô fili! & feliciora succedent opera nostra. Salutantes resalutat cœlorum Regina, & propitia Parens.

Instructio meritoria.

Omnia salutis, & æternitatis negotia commendemus hodie Deiparæ, recitandò *Lytanias Lauretanas* cum formula *Votiva*. Errat, qui diem, vel opera à Maria non inchoat.

III.

OTremor! videt S. Catharina totum mundum jam incendiò involutum, certò periturum, nisi pro eo ad Deum incederet Maria. Fili! quoties & nos ruinæ spiritualis in causa sumus? Et fuimus? Conservavit tamen Maria. Doleamus interim.

Instructio meritoria.

Et pro conservatione totius Reipublicæ

lica

licæ Christianæ, pro aversione omnis mali, & supplicii ad Psalmos 7. pœnitentiales confugiamus, eos recitando quàm zelosissimè. Justus est Dominus! Verùm & longânimis, & multùm misericors, si nostram viderit pœnitentiam.

Festum Annuntiationis à S. Gabriele Beatissimæ Virgini Mariæ factæ.

EXHORTATIUNCULA I.

GAudeat filius! hodie enim est dies salutis nostræ! Hodie Incarnatum est Verbum Dei! adeò Deus dilexit hominem, ut suum daret Unigenitum, ut redimeret & salvaret perditum. Quanta ergò non sit nostra cordis innocentia, ne annuntiantem turbemus Angelum? Recederet, si anima deficeret.

Instructio meritoria.

At teneamus, nec dimittamus: Est enim Angelus pacis. Quòd missus sit à SSS. Trinitate in Redemptoris negotium, recitemus Psalmum, cujus initium: *Benedic anima mea Dominum &c.* cum novem Pater & Ave, ac totidem oscu-

li

lis terræ. O diem salutis! recordabor
sui solius.

II.

Hodie Maria fit Mater Dei! si Mater
Dei, ergò & nostra, dilecte fili!
O igitur felices nos! ùt Dei genitrix om-
nia potest: ùt Mater nostra cupit om-
nia nostrùm causâ. Accedamus jam ad
thronum gratiæ! accedamus ad sinum
Mariæ. In Maria invenit captivus re-
demptionem, æger curationem, tristis
consolationem, justus gratiam, peccator
veniam. S. Ephrem.

Instructio meritoria.

Gratulemur Beatissimæ Virgini ad
tantæ Majestatis Titulum: Et coti SSS.
Trinitati gratias agentes recitemus Can-
ticum Ambrosianum: *Te Deum Lau-
damus*. Per diem verò ter visitemus
Altare Mariæ consecratum, Matrem illâ
salutantes Devotionis tesserâ: *Ave Fi-
lia Dei Patris! Ave Mater Dei Filii!
Ave Sponsa Spiritûs Sancti!* Hi tituli
placent Mariæ. O si in ore nostro fre-
quentissimi!

III. Ave

III.

Ave Maria! fili! quid sibi vult hæc salutatio Angelica? En! clavem dedit auream ad Cor Dei. Multa volumus impetrare de manu Divina? clame- mus ad Matrem! salutemus Mariam! fili! ergò nobis non est notum illud D. Bonaventuræ sanctum monitum: *Libenter nos salutat Maria cum gratia, si eam libenter salutamus cum Ave gratia plena.* Insigne monitum! Utamur!

Instructio meritoria.

Festivitas hæc tanta est, quantum negotium salutis æternæ. Ut salutatio ho- dierna resonet in ore omnium, 35. Ave recitemus, vel si omnia venerari cupi- mus Mysteria SS. Rosarii, tria privatim persolvamus soli cum solâ remanentes, & conversantes Maria. Non est nimi- um, quod exhibetur Deiparæ, & cœli- tum, mundique Regina. Utrique S. Bo- naventuræ verba sunt: *Matri Christi omnem, quam potes, exhibe reveren- tiam!*

Fe-

Festum S. Ruperti Archiepiscopi Salisburgensis, & Apostoli Bavariae zelosissimi.

EXHORTATIUNCULA I.

O Quot animæ periissent, si his non subvenisset pabulô S. Evangelii, & Verbi Divini S. Rupertus! Fili mi! & nos zelamur salutem animarum? Salvare possumus, si exemplariter, & sanctè vivamus. Exempla bonæ vitæ sunt animarum retia.

Instructio meritoria.

Jaciamus ergò! & cautè conversandò, ac modicè loquendò ædificemus alios, & ut graviora à Republica tollantur scandala, recitemus *Lytanias de omnibus Sanctis*. Magna à magnis petenda.

II.

Fidem, & primam pietatem Bavaria debet S. Ruperto; inde & ei prospera cuncta. Potuit vir Dei tanta in provinciam integram; quid poterit ergà animam nostram? Curramus, & Apostolo cœlitùs dato intimos pandamus
finis,

sinus, & afflictiones. Pater erat in mundo : Non desit esse in caelo.

Instructio meritoria.

Ut Maria cum S. Ruperto assistat afflictæ patriæ, constanter in vera fide permaneat, Deumque in omnibus timeat, & diligat, offeramus *Cursum*, seu *Officium majus Marianum* cum Cantico : *Benedictus Dominus Deus Israël!* quis ut Maria? *Gens & regnum* (ait. S. Damascenus) *quod non serviret, peribit, & gentes solitudine vastabuntur.*

III.

STans inter manus suorum moritur S. Rupertus; quia decertavit fortiter contra Dei, & fidei inimicos. Fili! non titubat in morte, cujus cor, & pectus nunquam nutavit in vita. Fortitudine opus est pro lucta ultima. Dum vivimus, probemus eandem caelo! persequamur malum, eligamus Bonum, & dabitur constantiæ præmium.

Instructio meritoria.

Turbatum est cor nostrum è sola mortis memoria! quis confortabit? Heroica, & Christiana vita. Pro qua impetran-

petranda antè Crucifixum Dominum
ter per hebdomadem, antequam itur cu-
bitum, flexis genibûs nocturnum præ-
mittatur testamentum cum Lytaniis
Lauretanis. Vigilate, quia nescitis. Tu-
tissima nox, quâ recordamur nostra
æternitatis. Cum hac obdormiamus!
cum hac & resurgamus!

Festum Transfixionis, seu sep-
tem Dolorum Beatissimæ Virginis
Mariæ.

EXHORTATIUNCULA I.

A Mor probat filium. Chare! pro-
bet & ipse suum. Compatiatur
tam piæ Matri de tot irreverentiis, & of-
fensionibus, quibûs tum Christiani, tum
religiosi malè vivendò vulnerarunt illius
cor utur innocentissimum. Recorde-
tur, quid tempore afflictionis nobis
præstiterit? Quomodo consolata nos sit
pia parens Maria.

Instructio meritoria.

In contestationem ergò filialis com-
passionis, & deprecationem nostræ ma-
gnæ ingratitude quondam Dolorosa
Matris

Circa med. Martii. Septem dolor. B. V. M. 285

Matris Imaginem nobis procuremus, coram quâ flectentes 14. *Pater & Ave* recitemus, prostratôque corpore culpam dicamus cum *confiteor*. Humilitas mitigabit Mariæ vulnera.

II.

Fili! audis querelam Matris? *Posuit me desolatam, totâ die mœrore confectam*, fatetur per Jeremiam. Sed quis consolabitur eam? Pietas, & clientum devotio. Meruit hanc millies à nobis Maria. Reddamus, quod debemus. Luctui addamus gaudia, lacrymis solatia.

Instructio meritoria.

Impediamus proin, quidquid vel immodestiâ, vel garrulitate, aut petulantia offendere posset Mariam. Nos totâ die strictum servemus silentium, & viventes in recollectione spiritûs per quadrantem meditemur dolores Beatissimæ Genitricis, subjungendo hymnum: *Stabat Mater*. Quàm dulcis conversatio, si cum Maria, & patiente Christo!

III. Ste-

III.

STetit Maria ad Crucem Domini! stetit, non sedit, vel jacuit. Hinc verè *Regina* facta est *Martyrum*. Quia etiam ad mortem usque filii dilecti stetit fortissima, & invicta. Bone! cadimus nos animò! recedimus à Christo si humiliemur sub Dei flagello. Aliud non docet Maria. Inter adversa stemus magnanimi: Inter prospera timidi. Prosperis gaudere vilia possunt ingenia pati fortiter contraria, proprium est magnæ mentis.

Instructio meritoria.

Verum hic opus, hic labor est! magna profectò requiritur discretio, si vel in adversis. Non dejiciamur, vel in prosperis non dissolvamur! rogemus igitur à Maria; nam dispensatrix virtutum est. Oremus Illius amore, & compassione Rosarium de mysteriis dolorosis. Dolores hi augebunt amores.

APRI.